UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris

Gallonio, Antonio

Mogvntiæ, 1602

Visiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43172

Visual Library

in pauperes flagraret charitate misericordiæ, Christianæque pietatis operibus maximè deditus, aliquot post annis in Dei famulatu absumptis obiit ita religiosè, pieque, vt vitę responderit eodem tenore transactæ.

Iesu Christi anno 1557 | Paull IIII. Pap. anno 2.3 | Ætatis anno 42.43

Visiones.

VIncentius, qui vitam Philippo Magistro vsus cum pietate duxerat, Philippo itidem eo ipso momento, quo obijt, [a] sese ostendit, quē ille nubes [b] penetrantem proprijs oculis intuitus est. Incidit ea res in annum Domini millesimum quingentesimum quinquagesimum septimum.

Sub idem tempus Marius Tosinus [c] nomine, vir pietati deditissim[o] vt obijt, eidem confestim apparuit, cumque eum bis nominatim maxima voce inclamasset, cælum luce

a Sanctissimi Viri, animos seruorum Dei recens vita functorum cælum frequenter conscendere vident. lege S. Athanasium in S. Antonio, S. Hieronymum in Paulo primo Eremita. B. Cyrillum monachū in SS. Euthymio. Ioanne Silētiario, & Saba, Euiratum in Prato c. 57. S. Gregoriū Pap. lib. 2. dialog. c. 33. 34. 35. lib. 4. c. 40. Bedam in

clarissima circumfusus illo ipso vidente ascendit.

Sed hoc loco res videtur poscere, vt paucis explicem quid ille de visionibus sentiret: Visiones, dicebat, seruorum Dei aspectibus sese obiiciunt, sed ex hoc omnia pendent, vt qua decet animi demissione eas homo excipiat.

Illud frequenter monebat alumnos, ne visiones curarent: quandoquidem quisq; facilè hisce in rebus (cum Angelus satanæ boni Angeli specie hominibus appareat) labi turpissimè potest. Hinc ille ita ab omni visionum, ac reuelationum lubrica quadã, ac spiritualibus hominibus maximè periculosa curiositate abhorrebat, vt qui talibus delectarẽtur, acri sermone corriperet; liquidò affirmãs nihil esse in laqueis diaboli piis hominib⁹ perniciosius, quàm vesana hæc dæmonum ludibria: in moribus corrigendis, vitiis extirpandis, virtutibus amplectendis,

S. Cutberto apud Sur. tom. 2. cap. 24.

b Obiit is 4. Idus Februarias.

c Hanc rem iuratus narrauit Federicus Car. Borromæus; idẽ fecere alij ad sex. Vincẽtius, & Marius ex Sodalitio S. Trinitatis fuêre.

dis, inque demum moderandis affectibus, & consimilibus assiduam, diligentemque operam ponendam inculcabat. ergo visiones respuendas esse docebat, nec dedignari Dominum, si id fiat etiam si ille ipse verè appareat.

Cæterum cum de visionibus hic verba fecerim, nõ ab re opinor, erit, si quam ille harum rerum notitiam habuerit, paucis nunc historiæ apponam: Ea enim talis erat, vt veras visiones à falsis paruo negotio cognosceret.

Cuidam precibus insistenti tanta, tamque mirifica lux sese repentè obiiciebat, vt momento pene tẽporis quamplurima de rebus diuinis clarè perspiceret: cumq; is dęmonis insidias veritus, nosse cuperet, an id diaboli opera fieret, Religiosos quãplurimos magni nominis consuluit, quorum responsis cum contentus non esset, ad Philippum tandem confugit, nec sanè frustra: Nam-

que

que adeo ille confestim planè atque dilucidè quæ vera esset, quæue falsa visio, explicuit, vt is liquidò iam compererit à quo spiritu ea lux in suam mentem immitteretur.

Francisco ex eius discipulis vni Ferrariensi cognomento [a] dæmon noctu sanctissimæ Virginis instar apparuit: id autem eo consilio, vt vel sic hominem ea specie facilius deciperet: idque cum is manè ad Philippum detulisset; non tibi inquit ille, sanctissima Dei Mater, vt putas, sed dæmon eius forma sese videndum obtulit: itaq; cum primùm eadem visio tibi se denuo obiiciet, faciem eius qui apparet conspuas iubeo.

Insequenti nocte, Ferrariensi magno animi ardore precanti dæmon eadẽ specie, eodemq; fulgore micãs prẹsto est, qui prẹcepti Beati Patris haud immemor, diaboli mox faciẽ sputo fœdat: qua re confusus dæmõ, turpiterq; superatus euanuit: vixq; il au-

[a] *Quæ de Ferrariensi hoc loco narramus à Francisco Maria Taurusio Cardinali didicimus. id ipsum etiam ab aliis quibusdam viris optimis quidẽ, & integerrimis accepimus.*

ille aufugerat, cum sacratissima Virgo ei sese palàm ostendit, eum vt faciem eius conspuat, modò id possit, monet: demum recreatum mirificè relinquens, sublimis abijt.

Erat is magna animi simplicitate præditus, Angelorum voces audiebat, meretrices ex fœtore deprehẽdebat: nec hic solis eius ornabatur animus virtutibus, quandoquidem ex eius oculis perpetui ferme lacrymarum riuuli profluebant; idq; pręsertim cum vel sermonibus, qui de rebus diuinis fiebant, interesset, vel diuinissimo Eucharistiæ sacramento, quod singulis desumebat diebus, se reficeret.

Cum is quodam die,[a] quòd ex calculo laboraret, vrinam facere non posset, ad Deum conuersus; fac, rogo, Domine, vt nec purgandi alui facultas mihi sit vlla. hæc vix effatus erat, cum derepentè absq; vllo sensu doloris vrina profluxit.

Cum alio die inter eundum Iudæus

a Id ipsum & quod sequitur à Francisco Maria Taurusio Cardinali audiuimus.

dæus quidam ſibi occurriſſet, tanto repentè eius ad Chriſtum conuerſionis deſiderio inflãmari ſe ſenſit, vt totos tres annos Deum pro illius ſalute rogare deſtiterit nunquam: triennio exacto, cum ad Baſilicam ſancti Petri diuinam rogatum clementiam ſe recepiſſet, ex improuiſo tumultuantem quaſi turbam ſibi audire viſus eſt: ergo foras eggreſſus Iudæum de quo loquimur ad ſacrũ Baptiſmatis fontem properantem videt. Qua ex re tantam cœpit animo voluptatem, quantam dicere vix nemo fufficeret, lacrymaſq; præ dulcedine tenere non poterat: & de diſcipuli ſanctimonia ſatis.

In Indias ad infideles Chriſto adiungendos pergere cupit.

EOdem huius ſæculi anno quingenteſimo ſeptimo cum veſperi poſt fuſas Deo preces epiſtolæ de rebus Indicis in eius cubiculo legerentur, tanta cupiditate ardere cœpit in-